Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1341
Quelle:
Copyright:

cius. Et quia liber edificatorius est multum, debemus non esse difficiles ad communicandum, sicut nobis fieri volumus semper. feliciter in domino semper. Ex quo liquet clausulam hanc adjectam esse post an. 1455. quo *Martinus* Abbas 29. *Julii* decessit, ut testatur *Job. Rasch* in serie Abbatum *Scotensium* vernacule edita 1586. 4. qui addit, *Martinum* hunc describendis Codicibus multum occupasse librarios ad restaurandam Coenobii sui Bibliothecam. Sed nempe tunc jam in foribus aderat Typographia. Plura de *Martino Hier. Pezius*, qui ejus *Senatorium* s. *Dialogum historicum* T. II. *Scriptt. Rer. Austr.* p. 623. inseruit.

III. *fol.* 55. *Fratris Leonardi de Valle brixinensi Inquisitio Quomodo veritas se habeat ad iusticiam misericordiam et pacem. Et similiter que sit habitudo vnius cuiusque horum quatuor ad singulum alterum ipsorum.* &c.

IV. *fol.* 58. *Incipit Tractatus de diuinis predicacionibus.* Ad marg. infer. dicitur sumtus *de lecturis fratris Leonardi lectoris conventus wien. ord. pred.* et incipit: *Qualiter sentiendum sit ac loquendum de diuinis personis secundum magistrorum et sanctorum katholicas assertiones Dominus Hugo Cardinalis sacrarum scripturarum expositor. et doctor egregius tradit compendiose in tractatulo suo qui incipit Juxta sanctorum tradicionem quem per modum epilogi et excerpti circa lecturam suam super Sententias ordinauit* &c. In hanc igitur Epitomen commentatur *Leonardus;* verba vero, quae citat, *Hugonis a S. Caro*, exacte respondent initio *Commentarii* ejus in *L. I. Sentent.*

V. *fol.* 92. Fragmentum Vitae S. *Maximiliani Celejensis* Ep. et M. Incipit: *Maximilianus quasi maxima libans, libare enim duo significata complectitur videlicet gustare et sacrificare* &c. Integram edidit ex *Codd.* mss. Cl. *Hier. Pezius* T. I. *Scriptt. Rer. Austr.* p. 22. adjiciam tamen ex nostro locum de *Dioecesi Laureacensi*, qui in quibusdam sincerior videtur: *Cuius prouincie termini dicuntur fuisse ab oriente fossatum siluanum, ab occidente flumen lycaos, quod germani lech nominant, et per metas occidentales nappa ekara ordita, a meridie liburnia quam drabus flumen percurrit, ab aquilone autem wandalus pelsa lacus et Tyzza flumen.*

VI. *fol.* 97. Excerpta quaedam ex *Rabano M. Hugone Postillatore, Rob. Holkot, Nic. Gorrano* &c. de Libro Sapientiae, aetatibus Mundi &c. in usum Praelectionum supra dicti *Leonardi de Vallebrix.*

VII. *fol.* 111. Excerpta ex Lectura Magistri *Francisci de Retza Ord. Praed. contra peccata et scandala que a multis tempore Carnispriuij bestialiter perpetrantur.* De Etymo germanicae vocis *Fastnacht* vel *Fasching* multa hic ridicula proponuntur: *Videtur dici Vaschank quasi Vach schant, quia iam dissolutio vbique*